

Sangerman. p. 114. ed. Bekker. Σφηκῶσαι, τὸ δῆσαι.
 Φρύνιχος Φοινίσσαις. Ex eadem fabula forsitan desum-
 tum est quod habet idem Grammaticus p. 116. Ψέλια.
 τὰ τοῖς πήχεσιν. οὐ μόνον στρεπτά. Φρύνιχος. in quo
 id mirum videtur, Grammaticos, quos impugnat Antiatticista,
 docuisse istam vocem στρεπτὰ apud scriptores Atticos de *armillis* semper positam fuisse; quo nihil
 minus verum esse potest: ψέλια enim semper de *armillis*,
 στρεπτὰ de *torquibus* usurpantur. Utrumque vero inter
 ornamenta Persica erat; unde verisimile fit Phrynichi
 locum ad Phoenissas referri debere. Xenoph. Anab. I.
 v. 8. de Persis; ἔνιοι δὲ καὶ στρεπτοὺς περὶ τῷ τραχήλῳ,
 καὶ ψέλια ἐπὶ τῶν χειρῶν—ἔχοντες. ibid. viii. 29. καὶ
 στρεπτὸν δὲ ἐφόρει, καὶ ψέλια, καὶ τὰ ἄλλα, ὥσπερ
 οἱ ἄριστοι τῶν Περσῶν. cf. I. iii. 27. Adrianus Tyrius
 Excerpt. Graec. Sophist. ac Rhet. p. 250. ψελίοις μὲν
 τὰς χεῖρας, στρεπτοῖς δὲ τοὺς τραχήλους πεκοσμημένοι.
 Unde Herodotus Persas vocat ἄνδρας στρεπτοφόρους τε
 καὶ ψελιοφόρους. VIII. 113. Vid. Aelian. V. H. I. 22.

Hujus autem Phrynichi praeter ceteris ἀντιδιδασκάλοις
 aemulus fuisse videtur Aeschylus, circa viginti annis
 minor; namque hi duo primi auctores tragœdiae novae
 ac lugubris erant, argumento ejus ad fabulas et cala-
 mitates converso *; quod cum diserte affirmaverit Plu-
 tarchus, valde dubium videtur, num Pratinas, quo-
 cum Aeschylus contendisse narratur, ullas tragœdias,
 proprie sic dictas, docuerit, quidquid dicat Suidas,
 qui solus, ut opinor, Pratinæ τραγῳδίας memorat. Quin
 et verisimile est ne ipsum quidem Phrynicum heroica
 aut lugubria in fabulis suis tractasse, nisi ab Aeschylo
 edoctum. Namque Aeschylum hujusmodi dramata in

* Plutarch. Sympos. I. 1. Bentl. Dissert. Phalar. p. 243.